

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Inscriptio.

Dem Ehrwürdigen und hochgelehrten Herrn Johann Marbachs/
der H. Schrift Doctoren/ und der Kirchen zu Strassburgh Su-
perintendenten/ unserem insonders großgünstigen Herren und
Freund.

CCXLVI.

ET si nuper ad eò ad te scripserim, (Vir reverende & chariss. frater) nec suppetat
admodum materia, nolui tamen præsentium latorem, Doctorem Medicum, qui
contubernalis mihi fuit ad menses aliquot, sine meis ad te dimittere, maximè cum
id postularit tui amantiss. & observantissimus. Narrabit is, si quæ de nostris rebus,
maximè verò Ecclesiæ statu rescire cupis. Equidem re ipsa experimur, veri-
tatis professionem à DOMINO foveri & conservari, sed non sine difficultatibus
& sudoribus nostris, adde & certaminibus, ut quæ ciet, Satanas, tanto mole-
lestiora, quod à conjunctis eveniant. Suntquæ sanè, quod Sophocles dicebat,
atrocia vulnera, cum amici deficiunt, ut peculiare gymnasium sit exercendæ fidelis
patientiæ & constantiæ. Solatio interim magno mihi est, quòd videam, infirmum
ministerium meum non esse prorsus infructuosum. Nec defunt synergi fratres,
unanimes fide & voce Christum, mecum sonantes, & confusionem reportant, qui ve-
nabantur gloriam. Tu, quæso, perge mecum supplicationibus tuis sanctis ad Do-
minum orare, postulare, ut porrò nos gratia & benedictione sua prosequi dignetur ad
sui nominis gloriam. De Belgicis rebus varia feruntur, quæ quovis modo cadant,
non video, quid emolumenti sint allaturæ ad regni Christi propagationem, horren-
da certe tempestas nobilem regionem turbat, & atteruntur indubiè innumerabiles
homines calamitate tanta, quæ non unam provinciam pervadit, ut verè sentiant ma-
num DEI contra ipsos extentam; Quæ certe nos in pace tam alta quiescentes repu-
tare conveniat, ut tanto beneficio non ad licentiæ occasionem abutamur, sed per se-
rius poenitentia studium DEUM habeamus propitium. Imperatorem audimus,
persecutionem contra profitentes Christum instituisse & exercere in urbe Vienna,
totaque ditione ipsi subdita. Quod si verum est, parat indubiè se ipsum & suos ho-
stiam Turcæ. Quæ Anhaltini & Holfzenenses responderint ad propositum de con-
cordia scriptum, communicata ab amico cognovi, nihil verò me movent. Res ipsa
suo loquetur tempore. Si quid habes, quæso, vel per Erasmum communica,
vel per Huldricum tuum, cujus adventum ad nos non desino expectare. Utrunq;
verò salvum jubeo, unà cum ipsorum matre, uxore tua, Symmilitis item fratribus,
Basil. 27. Aug. Ao. 78.

R, d. 1. totus

Simon Sulcerus.

Dddd 2

CCXLVII.